

**Bottman, Antoine - candidat /
Lézurier, Cosma-Auguste - président.
- An à perito ??????? Medico,
quàmplurima ??????? praecepta
salubriora, certiora dentur ?**

1787.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Parisiensis
Typographi
Cote : ms 2337a n°145***



DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ secundâ
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXVII.*

M. COSMÀ-AUGUSTINO LÉZURIER, Doctore Medico,
Præsîde.

*An à perito Χημικός Medico, quàmplurima ὑγιεινὰ πρæcepta salubriora,
certiora dentur?*

I.

ABIT ista tandem diuturnior profanorum ætas, qui Chemiam
immeritò despicientes & conculcantes, illam Medico inutilem,
medicinæ exitiosam, ubique prædicabant. Absque castâ Chemiæ doctrinâ

* Propugnata, anno 1761, ab illust. Præsîde, Thescos Authore.

nullus Medicus, nulla Medicina. Hâc solâ duce, Physiologus corporis humani elementa detegere potuit. Nec Mechanica, nec Hydrostatica disciplina variorum humorum naturam, proprietates & effectus certò nos edocuissent. Quid de quarumdam functionum mechanismo statuere licitum fuisset, haud consultâ Chemiâ? Ipsa etiam sola evolvere, depellere potuit vitia, quæ malesani Chemicastri in Medicinam invexerant. Licet tamen multa adsint maximi momenti in Physiologiâ medicâ, quæ Chemiæ tantum ope cognosci possint, Pathologiæ etiam quid utile profert. Sic nemo nisi Chemiæ gnarus, morbificam humorum dyscrasiam probè intelliget. Nemo, v. g. scorbuticæ depravationis, ut morbos alios omittam, phœnomena, causas evolvat. Semeiōticen pariter perficit. Græci enim & alii veteres signa tantum externa, sensibus objectâ, à naturâ spontè indicata collegerunt, mirâ quidem industriâ; Chemia verò nos edocet quismam sit status humorum internus, caloris aliorumque signorum externorum ratione, ità ut de statu ægrotantium aliquid certius exindè asserere possimus. Quid de lotio tantum conspecto, ut Agrytarum moris est, luminis elicere possumus? Ambiguum profectò & valdè exiguum; dùm peritus Chemiæ Medicus, urinam juxtâ suæ artis leges explorans, multa detegit, prævidet exindè abscondita humorum vitia, & , ne vitam pessumdent, præcavet assiduus. Quid in therapeuticis valeat ista disciplina, neminem Medicum fugit: quot & quàm eximia nobis suppeditaverit medicamina, palàm omnibus est. Venena domuit, vel mirâ quâdam transformatione, vel separatione & extractione è mixto illa continente, ut indè partes salubres absque periculo varios in usus venirent. Sed & Chemia Hygieine etiam perfectior, ità ut quò magis istius disciplinæ sacra mysteria inierit Medicus, eò majori cum successu civium sanitati providere poterit.

I I.

HYGIEINE, ista pars Medicinæ præstantior, utilior & verè practica, sanitatem præsentem servat, proximos prævidet morbos illosque præcavet, necnon senectutis labem procùl à nobis pro viribus arcet. Quos ut attingat scopos rerum non naturalium usum, ratione

ætatis, sexûs, ἰδιουργησίας uniuscujusque individui, commendat, cohibet, moderatur & regit. Res non naturales mediæ sunt inter naturales & eas quæ sunt contrà naturam; neque enim naturam nostram constituunt, ut res naturales; nec eandem lædunt, ut affectus contrà naturam; *sed sunt promiscuæ & indifferentes, benè utenti, bonæ; malè utenti, malæ.* Has inter non minimum tenent locum alimenta. Quo enim alio modo vitæ viribus continuis magnisque dispendiis debilitatum hominis corpus reparari, refarciri potuisset? Undè illorum necessitas, utilitas. Duplicis certè generis humani corporis deperditio. Alia glutinis in sua principia resoluti, & ad globum elementarem redeuntis, alia aquosarum tantummodò partium. Has denuò suppeditant potus, illas cibi. A naturâ potus unus, ciborum verò species innumeræ. In hoc miremur Creatoris munificentiam, qui non alium ob finem adeò prodigâ manu tot homini dapes obtulit, nisi ut sic, licet in omnibus eadem materies nutritiva, eam tamen à naturâ nostrâ plûs minûs-ve remotam miris in modis offerret; tûm ut cum viribus nostris congruerent magis, & illas repararent, nedûm premerent delerent-ve.

Nusquam porrò de ciborum usu salubre consilium præbebit Medicus quisque, meram materie nutritivæ naturam, vel illius statum, aut quantitatem in mixto qualicumque contentam ignorans. Ast solus Chemiæ peritus, non tantûm, quid nutritivi contineat mixtum quodcumque, sed & etiam quânam præparatione indigeat, ut assimilationi proximum fiat, certò dijudicare poterit: sic paritèr potuum tûm naturalium, tûm artificialium naturam, sinceritatem detegit. Ista etiam sola disciplina, quid cautelæ, vel in alimentorum præparationibus, vel in asservationibus afferri debeat, demonstrabit; ità ut his prævisis & detectis, salubriora, certiora quam plurima ὕλης præcepta dederit Medicus.

I I I.

OMNE dulce nutrit; sic voluerunt antiqui experienciâ tantûm edocti. Omne mucosum nutrit; docent Chemicî. Et reverà cibi, sive è vegetabili, sive ex animali regno sint desumpti, (nil enim hûc usque ad nutritionem suppeditavit minerale) parte gelatinosâ alii, alii

mucosâ nos nutriunt. His deficientibus nulla perficitur nutritio , ceu quod idem est , assimilatio. Nam , ex Galeno , *nutritio est ejus , quod nutrit , ad id , quod nutritur , assimilatio*. Corporis nutritivi sive mucosi naturam soli explicant Chemicî atque demonstrant. Juxtâ Chemiæ leges corpus istud seorsim exploratum , inodorum reperitur ; ferè insipidum , conflatum ex acido , oleo , aquâ terrâque copiosâ , & aëre , sed ita inter se mixtis ut ex iis componatur corpus homogeneous & omnium dulcissimum. Quis nunc inficias ibit , mucosum corpus inter & lympham non aliud adesse discrimen , quàm quemdam attenuationis gradum , quâ indefinente motu ad dissolutionem & *volatilisationem* principiorum vergit corpus istud ? Quin attenuationis gradus corporis mucosi , ad assimilationem celerem illud plus minusve aptum & idoneum præstat : sic & etiam exindè oritur discrimen quod observatur corpus mucosum inter è vegetabili regno desumptum , & gelatinam animalium , quæ , licet jam , sed non nimis , *immutata* , nutritionem adimplere & perficere potest.

Experientiâ & animalium exemplis adducti , proprietatem nutritivam vegetabilis cujuscumque de novo detecti , agnoscere valebant veteres ; sed nunc longè aliter res se habent. Regiones longinquas intelligens peragrat viator , offendit vegetabile quoddam aut fructuum novas species. Quodnam solatium aliquoties , si ad incolarum juvamen nutritivum corpus continerent hætenus intentatæ vegetantium species : quæ si , juxtâ leges *ζυμωτικής* tractatæ , mutantur in liquorem spiritu ardente scætum , vinum vulgè dictum , certè nutritioni evadunt idoneæ. Nullo forsàn alio modo , radicis *Orchidis fœminæ procerioris* , *majoris flore* , à Turcis SALEP dictæ ; medullæ cujusdam arboris palmiferæ , vulgè SAGOU , facultas nutritiva detecta fuit , aut saltem certè demonstrari potuit. Chemicis etiam laboribus detexit celeberrimus GEOFROY variam partis gelatinosæ quantitatem , quæ è variorum animalium carnibus extrahebatur , licet ex eâdem massâ : sic hujusce gelatinæ attenuationis gradum , ratione ætatis & speciei , seu quod idem est , ad alkalescentiam dispositionem majorem minoremve meritò arguit ex

collectâ alkali volatilîs quantitatē. Jâm Medicus hæc non ignorans, vitulinam vervecinamve carnem aut leporinam certius commendabit, prout acidam alkalescentemve humorum crasim arcere & immutare voluerit. Quis præter *Chemico-Medicum* nefandum heuque nimis frequentem usum, quo nostri nondum ablactati infantes alimento donantur, infirmi & imbecilles, pulsem dico; quod adulti vel robustissimi ægrè & magno cum sanitatis detrimento concoquerent, ratiocinio prudentique consilio eruere, evertere poterit? Discant etiam *Χημείας* objurgatores, panem istum, quem nunquam repugnantes quotidie comedunt, fermentatione levi & coctione Chemicis legibus antea paratum fuisse, ut corporis mucosi visciditas frangeretur, nimia aëris quantitas amandaretur foras, sicque innumeræ & immites in œconomiâ animali vitarentur tragediæ. Permultæ etiam dantur substantiæ quæ cum corpore alimentoso intimum videntur inire connubium; quod indicant sapor & odor cuilibet alimento peculiares, à certâ quâdam salis propriique olei miscelâ pendentes, necnon à singulari spiritûs rectoris qualitate. Hæ tamen substantiæ alimentis strictius adhaerentes circulationis vias petunt, effectusque tum in solida cum in fluida peculiares exercent & exserunt. Harum existentiam & qualitatem nemo, nisi Chemicâ analysi, cognoscet; quâ duce, modò hæc, modò illa, majori infirmorum sanorumve emolumento commendabit Medicus.

I V.

VULGATISSIMUS & saluberrimus potus est aqua, maximè in conservandâ sanitate momenti, cujus bonitatis & pravitatis notas callere Medicus debet. Salubritatis aquarum indicia paucissimis verbis aperit *Hippocrates*, limpidam, pellucidam & tenuem commendans. Gustum, visum, & olfactum, aliquoties etiam ebullitionem in usum vocabant Antiqui, ut suam de aquis sententiam proferrent; & sanè haud ablegandæ hodie dùm pares cautelæ. Sed ope Chemiæ tantum, quâ substantiâ vel terreâ, vel metallicâ, vel salinâ adulterentur aquæ indicabit Medicus. Sic inde ditata fuit *Διαιτητική* aquarum mineralium faustâ suppellectili, quarum quotidie vires prophylacticas experiuntur

Medici , prout variis in casibus has vel illas propinari jubent , ratione habitâ principiorum quæ in aquis detexit Chemica analysi.

Hippocratis & Galeni pace dicam , aquas pluviales nullo modo præ aliis commendandas esse. Eæ enim vera sunt aëris lexivia , & ab omnibus substantiis in atmosphærâ contentis coinquinatæ. Variæ pro variâ tempestate , locorum situ , soli naturâ , quod præsertim observandum venit , in aquâ tonitruali longè adhuc à cæteris diversâ ; ità ut modò sulphureas , modò metallicas aliasve contineat partes , quod à Chemicis solis observatum. In æternum laudanda facilis ista methodus quâ quisque viator , guttis præsertim aliquot solutionis argenti acido nitri , aquæ puritatem agnoscer , etiam non demonstratâ solummodò acidi nitrosi præsentia. Nec minoris utilitatis ad nauticorum salutem processus iste ab *Anglo* detectus , sic & à celeberrimo *POISSONNIER* hujus facultatis magistro , cujus beneficio maris ipsius aquas forbiles reddiderunt.

Potuum omnes aliæ species à Chemiâ solâ suam originem tenent , fermentatione scilicet corporis mucosi cujusbet regni vegetabilis substantiæ. Hi potus etiam inter se discrepant , variorum principiorum in quibuscumque substantiis contentorum respectu , quæ inter fermentandum à corpore mucoso non separantur. Horum analysim felici cum successu Chemiâ instituet Medicus , ut hoc vel illo potius ad prophylaxim utatur ; sic etiam vina potusque salientes quid perniciosum & exitiosum habeant , dilucidè demonstrabit : aliundè tenuioris vini nocivam acidatem faciliè & tutò corrigit & emendabit. Idem ille Chemiam edoctus civium omnium sanitatis ob tutelam , vina turpi mangonio , variis scilicet Saturni præparationibus adulterata , guttis aliquot sympathici atramenti alkali fixo & auripigmento parati , faciliè declarabit. Quis Diætam generalem & utilem instituet , nisi qui juxtà Chemiæ leges , variorum humorum , acescentiam vel alkalescentiam , aliquoties observatas , licèt nondùm functiones læsæ , morbusque renuntiatus , victu paululùm alkalescenti , si ad acidum , vel acido , si ad alkalinum vergant humores , temperare , domare tentaverit ; aut condimentorum naturam & principia optimè pernoscent , arti culinariæ grata illa absti-

lerit venena , coquus ipse intelligens , quibus & alimenta corrumpuntur , & sanitati non levia inferuntur damna.

V.

MULTIPLICIS vasorum supellestilis ope parantur , servantur in coquinis alimenta , in Pharmacopoliis Medicamina , & sæpè maximo civium damno. Vasa enim ista præcipuè ex metallis imperfectis cupro scilicet , stanno plumboque conficiuntur ; seu fictilia sunt saturni vitro fusionis ope illinita. Ferè nòrunt omnes quam venenosa sit solutio cupri , sed ignorant permulti quàm infinitis solvatur menstruis licet dulcissimis & insipidis , ut aquâ & oleis , ità ut frequenter mortem in ollâ servant. Non solum menstruorum subsidentiâ & refrigeratione perficitur ista solutio , sed etiam ebullitionis tempore ; licet contendat quidam , calore vigente , minorem menstruorum applicationem vasorum parietibus adesse , & indè nullam dissolutionem. Observatur enim tum apud cerevisiarios , tum apud operarios saccharo fructus condientes & Pharmacopolas , lebetes ex ære rubro confectos , nitidiores limatiores toties reperiri , certissimè leviores , si accuratè ponderarentur , quoties substantiæ his in vasis paratæ effunduntur ; & istud eò magis , quò sæpius & vehementius , instrumento quocumque ad mixtionem perficiendam adhibito , lebetum parietes percussi fuerunt , undè citatiores & abrasio & solutio. Orta indè damna curat Medicus , sed illa Chemicus præcavet. Levissimam enim cupri particulam , ubicumque lateat , deregite & demonstrat solutione salis *alkalini volatilis* , cujus guttæ aliquot colorem eleganter cyaneum in liquore cuprum continente evolvunt ; quin & non ignorat à menstruo quocumque , ratione caloris gradûs , metallorum solutionem perfici. Quæ cupri noxæ ut vitentur , stannea plumbeave vasa non commendabit.

Ad omnibus menstruis , quâvisque pinguedine Saturnum facillimè dissolvi , & aëri expositum efflorescere observatum est : indè in corpore modis innumeris receptus , crudeles in eo dirasque procreat tragædias. Delenda lethalis ista methodus , quâ caupones vini stillicidia in arcam plumbeam colligunt , & servant , ne , inquiunt , acescat ; cum sic ,

nedum præcaveatur aciditas, vera plumbi perficiatur solutio; undè vini dulcedo, saccharatus sapor, gratumque palato venenum. Optandum etiam ut varias ad urbium partes fistulis lapideis potius quàm plumbeis devehantur aquæ, nam talis aqua certissimè damnosa fit. Cùm enim in vase plumbeo quieverint aquæ, dulcescunt; & epotæ, ventriculum gravant. Harum igitur fistularum in curvaturis sæpè resident aquæ, & indè venenosæ, ut & fistularum continuâ abrasione quæ demonstratur laboribus assiduis ad reparationem requisitis. Hanc etiam ob facilem dissolubilitatem ab omni usu ista arceantur fictilia illius vitro illinita. Stannum verò semper cum Arsenico conjungitur, quod Chemia indicat, & præsertim MARGRAVII processus. Sed jam clamitant quidam stannum nisi acidis concentratis dissolvi. Quod illis lubenter concederemus, si stanno puro vasa conficerentur. Sed res aliter se habent; operationibus enim Chemicis demonstratur, stannum in usu civili adhibitum, sic tractatum fuisse, scilicet cum trecentis stanni libris, cupri libras quinque, plumbi verò decem & ampliùs consociatas fuisse; quorum metallorum connubio, vinis sæpè etiam purgativis potionibus vis emetica conciliatur. Exindè parva tutela, si stanno obducantur ænea vasa, cùm aliundè microscopicis observationibus detectum fuerit, punctis in infinitis cuprum obductum non fuisse, sicque menstruorum actioni omnino non impervium. Hæc omnia sufficiant, ut concludamus.

Ergo à perito Χημικῆς Medico, quàmplurima ὕμνις præcepta salubriora, certiora dantur.

Proponebat Parisiis ANTONIUS BOTTMAN, Warsawæus, Confiliarius Aulicus
S. M. Regis Poloniæ, Doctor Rhemus, necnon Saluberrimæ
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1787. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAV, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi.

